



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



I. N. 7.
DE

MODIS DISTINCTIONUM.

Disputatio Altera,

Quam
PRÆSIDE
VIRO CL.

M. JACOBO *Wächtern*/

Ser. Elect. Sax. Alumn.

Disputabit
A. & R.

JOHANNES CRAMERUS,

Magdeburg.

Ad D. 10. August.

Horis pomeridianis.

Literis JOHANNIS BURCKHARDI, 1664.



20

MODIS
DISTINCTIUM.

Disputatio Altera

PRÆSIDI
MAG. C.

M. JACOBO
Böcklin

Sec. Elect. Sax. Altm.

JOHANNES CAMERUS

Magdeburg
N.D. in Regia
Hort. pomor. ans.

1664 JOHANNES BURCHARDI 1664



I. N. J.

THES. I.

De Distinctionum agere modis, est Me-
taphysici fori.

§. 1.

Priusquam rem ipsam aggrediamur, præmit-
tere placet hæc contra Ramistas, ut qui quamplurima Logi-
cæ interunt, quæ ad principalem de Ente disciplinam, directè
ac formaliter spectant. Metaphysici omninò est, agere de
Distinctionis naturâ & modis: tum quia distinctio quasi species
Diversitatis est, adeoq; ut aliquid affectionis, ad objectum Meta-
physicæ, Ens quatenus Ens, & ad plenariam de Diversò doctrinam
per se refertur. Hinc Zabar. Qui considerat Ens universè, quæ est
Ens; idem quoq; considerat Entis differentias & distinctiones, l. 2.
post. ad cont. 48. Tum, quia distinctio est quid reale transcendens
ac universalissimum, quat. & à finitò & ab infinitò præscindit, ideo-
que in momento suo primò comprehendi satis à disciplinæ cujus-
dam contractæ ac specialioris formali non potest. Ad Logicam
ergò, instrumentalem illam, & in secundis occupatam notionibus,
quomodo doctrina de distinctione rerum referri queat?

§. 2. Potissima Ramistarum ratio est, agere Logicam de divisio-
nibus modisq; dividendi: Definiendi ac distinguendi virtutem e-
jusdem esse. Vid. Ursin. Disput. Philos. p. 1. disp. 18. quæst. 3. p. 186.
Sed hic fallacia est æquivocationis. Proponit Logica divisiones
ac distinctiones; sed ut secundas notiones, quarum beneficio
dispositiva mentis *διάνοια*, in *γενέσει* & *ἀναλύσει*, sit dirigenda. Si-
cuti enim pro Objecto non habet Ens, quatenus Ens; ita nec age-
re de diversitate ac modis distinctionum, quoad res ipsas, potest
per se & principaliter, quomodo eadem ad *ὄντογνωσίαν* aliàs re-
feruntur: ideoq; non ipsam perficit Logica mentem, accuratè lo-
quendo, tum quoq; cum de divisionibus ac definitionibus sollicita
est; sed ordinandos mentis progressus instrumentaliter saltem re-
git; nec propter veritatis inventionem; sed jam tum alibi *κρείως*
sive realiter inventæ ordinandam dispositionem, distinctamque
communicationem, notionaliter magis magisque facilitandam.

C

Conf.

Conf. Dn. D. Calov. Scr. Phil. p. 2. p. 595. ideoq; & materiale & formale, quæ à Ramistis putantur esse eadem, sunt diversissima.

THESIS II.

Distinctio nomen ambiguum est.

§. 3. Verè Dn. D. Calovius de hâc nostrâ materiâ : Quod si ullam materiam in Metaphysicis intricatè & perplexè proponunt, certè hanc vel maximè intricatam reddunt : ut nesciam, quò fato in distinctione regnet confusio, & quæ evolvi videntur, datâ operâ quasi involvantur. l. c. p. 541. Distinctionis itaq; nomen prius, & *ἁπονομιῶν* videbimus, quàm de naturâ ipsâ loquamur, ut eò facilius atq; felicius, si fieri possit, hoc turbidum fretum tranare queamus. Hoc quidem constat, accipi Distinctionis vocem à nobis (1) non Grammaticè, pro interpunctionibus commatum ac paragra-phorum. Nec (2) Rhetoricè, pro variatione Orationis per flosculos verborum sententiarumq; aut figurarum. Nec (3) Logicè, pro Divisione, quomodo Ramus divisionem totius in partes, distinctionem vocat, lib. 1. dial. c. 25. Aliud enim *διαίρεσις* est, aliud *διαίεσις*. Sed (4) Philosophicè, & juxta rigorem Metaphysices, pro diversitate conceptuum, seu formalium, seu objectivorum. Sicut *ἡ ἁπονομιῆς ἐνότης ἐστίν*, ita *διαφορῆς, ἐτερότητις* Arist. 5. Met. c. 9. t. 16.

§. 4. Quemadmodum vero supra, in prima disputatione §. 9. divisionem identitatis in realem & rationis, homonymicam esse censuimus : quomodo aliàs Ens ipsam rationis, æquivocè Ens dici statuitur; sic distinctionem quoq; Rationis, quatenus reali opponitur, æquivocam esse existimamus. Rad' caliter enim in solâ mentis fictione fundatur, quatenus aut idem conceptus repetitur, sibiq; ipsi ineptè contradistinguitur; aut alius rei conceptus ei citra fundamentum opponitur; ideoque distinctionis nomen commune est quidem, non autem natura ac definitio nominis; neque sub verâ veri Entis diversitate, quæ ipsam rem realiter afficit, continetur. Sed observandum hic loci, vocabulum Rationis (1) non accipi subjectivè, quatenus in intellectu distinctio rerum vera concipitur ac repræsentatur : Nec (2) Objectivè, quatenus Entia rationis à se invicem distinguntur : Nec (3) passivè, quatenus à naturâ rei movetur intellectus, ad distinguenda plura, quæ ob-
jectivè

jectivè & à parte rei non plura sunt; sed unum idemq;, qualis distinctio communiter dicitur Rationis ratiocinatæ, aut Eminentis. Sed 4. Activè seu Effectivè, quatenus ratio, suapte sibi sponte, & ex propria autoritate, pingit ac fingit diversitatem, quæ vel in re ipsa seu rei natura nervum non habet, vel etiam ipsis haud rarò rebus repugnat, adeoq; ex rei veritate distinctio nulla est, falsa, & absq; fundamento. Sic v. g. quando distinguunt vulgò inter jus gentium primævum & secundævum, absq; fundamento; inter majestatem realem & personalem, contradictoriè; inter imperium ac jus vitæ ac necis, inconceptibilitet, inter Scientiam Theoreticam & practicam, Sophiam theoreticam & civilem, Artem principalem & instrumentalem, contradictoriè; aut etiam inter genus ac speciem, Definitum & Definitionem &c. nullibi distinctio realis est; sed rationis, sic vel sic, pro lubitu ratiocinantis, ac propterea merè *ὁμωνύμως* distinctio dicitur, nec hoc sensu, fori Metaphysici esse potest. At longè alius conditionis, ratiocinatæ rationis distinctio est, ut & quæ subjectivè ac passivè talis appellatur; distinctiones n. omnino reales, h. e. non fictæ sunt, & hujus loci; sicuti fusius dicetur deinceps.

THESIS III.

Distinctio est, quâ unus conceptus non est alius.

§ 5. Ita formalis ratio Distinctionis, abstractè & in genere effertur à Dn. D. Calovio l. c. p. 540. Cujus fundamentum idem subtiliter demonstrat, ex duobus Noologiæ summis principijs; quorum alterum: Impossibile est, idem in NATURA simul esse, & cum alijs confusum esse. Alterum: Impossibile est, idem in MENTE nostra simul esse, & cum alijs confusum esse. Nam, inquit, uti Deus & natura; ita quoq; Mens nostra, abhorret ab omni confusione. Proinde omnia, pergit, quæcunq; sunt in natura, distincta sunt ab invicem: omnia quæcunq; sunt in mente, distinctè representantur. Ac paulò post concludit: Exinde liquet, ad formalem rationem distinctionis in abstracto pertinere, ut unum non sit aliud, sive in naturâ, sive in intellectu. Duplex proinde subjectû Distinctionis est; Natura & intellectus. Duplex objectum; quid extra intellectu-

Etum, seu in naturâ; & quid in intellectu, sed radicatum quodammodo in Naturâ. Quorum latitudini ut adæquetur forma distinctionis, materiale illius ejusmodi designandum terminò est, qui ambitu suo, quicquid usquam datur vel concipi potest, complectatur. Jam inter Philosophos vix ulla convenientior huic negotio vox, quam conceptus, est, qui quodvis objectum *παῖν νοητὸν* (quatenus objectivus) ac Noema ipsum vel *εἰδῶλον νοητικόν* (quatenus formalis) comprehendit. Cum itaq; prorsus sit impossibile, tum in naturâ, tum in mente, ut hoc sit illud, aut hoc unum aliud istud (Nam sic hoc esset, & non esset; quod manifestè contradictorium) Hinc rectè distinctio in genere describitur; quod sit diversitas, quâ unus conceptus (seu objectivus, seu formalis) non sit alius. Velut B. Scharff. planius; quâ vel res præter mentis nostræ operationem sunt diversæ, vel ab ipsâ mente rebus distinctio imprimatur, in Metaph. Exempl. c. 16. §. 1. & in Theor. transc. p. 811.

§. 6. Sunt itaq; materiale Distinctionis, Conceptus; Formale, mutua Conceptuum affinitas: rectius & accuratius *διάκρισις* sive diversitas illa, quæ inter conceptus distinctionem in esse ponit, quatenus unus conceptus non est alius. Angustè nimis ergò ac inadæquatè distinctionem describunt vulgo, quòd sit; quâ res inter se distinguantur. Sæpius enim, in singulari, res una eademque est & manet, ac distinctionem realem pati potest; quomodo præter S.S. Trinitatis exemplum, distinctio Virtualis & formalis datur: ubi certè non res, sed formales saltem conceptus, circa unam eandemque rem à se invicem distinguuntur. Combachius ita: Distinctio est plurius inter se differentia. Metaph. c. 22. Wilhelm. Ursinus l. c. p. 208. hunc in modum: Distinctio est alicujus ab aliquò Diversitas: ac paulo post; omnis distinctio est inter aliquid & aliquid. Quæ descriptiones, utut ad latitudinem distinguibilium, adæquatè tandem contrahi aut extendi possint; hæc tamen ambiguae atq; confusæ ac inadæquatæ sunt, vel, quia objectum distinctionis non definitur expressè, ut in priori; vel quia subjectum distinctionis unice Natura ponitur, ut in posteriori. Illic excessus, hic defectus est: illa definitio suo latior, hæc angustior. Mediò tutissimus ibis.

THESIS IV.

THESIS IV.

Distinctio vel est secundum Rem, seu Realis:
vel secundum rationem, seu notionalis.

§ 7. A quaestione, quid sit? progredimur ad quaestionem, quotuplex sit, h. e. à definitione ad divisionem: quam bimembrem cum Peripateticis, tum antiquioribus, Fonscâ, Thomâ, Ferrar. Cajet. &c. tum recentioribus facimus. Imò & Okamus (cujus tamen ingenium, ut inquit Scaliger, omnia vetera subvertit, exerc. 324.) cum Durando, Hervæo & Gandavense, bimembrem hanc divisionem retinent & colunt. Illa igitur est, quâ Conceptus objectivus, quicumque ille sit, alius est ab alio conceptu objectivô. Hæc est, quâ conceptus tantum formalis, alius est à conceptu formali, quamvis utrobique conceptus objectivus coincidat. Vid Dn. D. Calov. l. c. Subjectum illius est Natura, per se, vel per accidens; hujus verò intellectus: Objectum illius, sunt quilibet objectivi; hujus verò tantum formales de uno eodemque objecto, conceptus: illa dicitur esse à parte Rei; hæc à parte nostri: Hinc illa quoque, præter diversitatem formalium conceptuum, objectivorum quoque diversitatem importat, sive eadem vera sint Entia, Substantiæ vel Accidentia, sive saltem realitates ac modi; aut etiam privationes, negationes & Entia rationis; dummodo verè duo vel plura conferantur objecta, & objectivus unius conceptus ab objectivo alterius distinguatur. Hæc verò (notionalis) sub identitate objecti, formalium tantum conceptuum notat diversitatem, quatenus unum idemque ob virtutes, operationes, & effectus aut respectus suos (verbo) propter naturam suam (h. e. in respectu ad operationes) distinguitur.

§. 8. Fundamentum itaque *διχονομίας* nostræ duplex est; primum & secundarium. Hoc pendet à materia Distinctionis, videlicet à conceptuum qualitate, quatenus iidem vel sunt formales, vel objectivi; & hinc quoque duplicem distinctionem, rationis vel rei efficiunt. Nequaquam vero derivandum est istud à conceptuum seu extremorum realitate, quasi sub realem distinctionem non cadant, quæ privativa, negativa, fictaque sint: quis enim neget, realiter à se distingui mortem & vitam, aureum montem & chimæram, tra-

gelaphum & hominem &c. Objectivus certè mortis conceptus re-
ip̄sa & ante mentis operationem alius est ab objectivò vitæ con-
ceptu: & sic in reliquis. Unde notandum hic obiter, aliud esse;
distingui re vel ratione; & aliud, distingui ut Entia realia vel ra-
tionis. Nam 1. etiam Rationis Entia realiter distingui possunt, nec
tamen Entia realia sunt. Ursin. l. c. p. 224. 2. ratione distinguuntur
attributa divina, nec tamen Entia rationis sunt. Jac. Mart. part.
Met. p. 124. Rectè Svarezius: Distinctio rationis non semper requi-
rit extrema, quæ in se sint Entia rationis; sed saltem supponit ali-
quam denominationem rationis, (addo vel potius præmitto, ali-
quam operationem rationis, quatenus formales tantùm conce-
ptus disjunguntur à sese, ut una eademq; res, unum idemq; obje-
ctum, propter diversas tùm suas, tùm intellectus operationes vel
respectus, alio atq; alio modo denominetur) disp. Metaph. 7. sect. 1.
Illud (primarium) pendet à forma distinctionis, videlicet ab illa
conceptuum alietate [ut Schola vetus loquitur] quatenus eadem
vel à conceptu formali dependet, vel ab objectivò; & hinc iterum
duplex ea distinctio gignitur: altera realis vel secundum rem, alte-
ra formalis seu notionalis, secundum rationem.

§. 9. Scotus equidem inter Realem & Rationis noviter
mediam aliam invenit, quam appellat: ex natura rei; eamque
Fonsca l. 5. Metaph. q. 6. f. 1. & q. 7. f. 3. approbat & commen-
dat. At n. hi *in* ratione distingui, strictius justo accipiunt, quoad
rationem ratiocinantem, præter mentem Peripateticorū: Si paullo
latius, quoad rationem ratiocinatam intelligatur, exactè ista tertia
species, cum Distinctione Rationis conveniet. Sic quoq; distinctio
Virtualis & Formalis, ad eam pertinent speciem, quæ secundum
rationem est; sive ad Formalem, ab operatione mentis generaliter
sic dictam, propterea quod in iisdem non distinguantur objecta,
nec geminentur conceptus objectivi: sed de eodem objecto, alij
tantummodò conceptus, ob rei aliquod fundamentum, in intelle-
ctu formentur. Sic datur distinctio essentialis, suppositalis, mo-
dalis, causalis, realis tantùm, accidentalis &c. qui omnes modi ad
eam pertinent distinctionem, quæ secundum rem est, sive ad rea-
lem, à rebus vel objectis generaliter sic dictam; idq; idcirco, quòd
omnes

omnes ex alietate objectivorum conceptuum fluant nec tantum formalium diversitate conceptuum nitantur; sed & objecta ipsa plura sint, seu positiva, seu privativa, seu negativa, seu realia, seu ficta, ut sæpius dictum.

§. 10. Peccant itaq;, quotquot modalem distinctionem, quatenus hæc inter rem & modum separabilem, vel inter modum & modum sibi invicem oppositos est, referunt ad eam, quæ sit secundum rationem; & contra, distinctionem formalem, & ex natura rei, ad eam, quæ est secundum rem, cum Ursin. disp. 18. q. 20. p. 202. sq. Confunduntur enim sic ea, quæ & natura distinctè offert vel per se, vel per accidens; & quæ mens nostra formaliter concipit distinctè. Confunditur ratio distinctionis realis, cum ratione distinctionis notionalis: confunditur diversitas conceptuum objectivorum, cum diversitate formalium, & vice versâ, quæ tamen, ut antea monstravimus, *contradictoriis rationibus* distant. Aut certè termini miserè torquentur, ac studiosè res per se satis clara involvitur, inutilibusque speculationibus obscuratur. Sive ergo aliquis velit antiquam *Peripateticorum*, sive ab *Okamo* & ejus asseclis, sive deniq; à *Scotâ* & *Fonscâ* & horum sectatoribus descriptam distinctionis methodum sequi: nobis orthodoxorum vestigia Præceptorum placebunt, ideoque quæ diximus ante in Thesi, jam illustrabuntur.

THESIS V.

Distinctio realis I. vel est absolutè, vel analogicè talis.

§. 11. De *subjecto* notandum principiò est, non accipi à nobis Distinctionem realem *latè*, quatenus omnem significat eam, quæ fundamentum habet in re, adeoq; & illam, quam Scotus *ex naturâ rei* vocat, includit: quò sensu aliam certioremq; distinctionis methodum noviter inventurus ac invecurus *Ursinus*, Distinctionem *realem*, ceu Genus, in *rei* & *rationis*, tanquam in species, dividit: & illam (*rei*) porrò in *realem*, & *ex naturâ rei* dispescit: ac istam (*realem*) *primariam* deinde vel *secundariam* facit. l. c. p. 208. nec sivetè tamen, nec satis benè. Non, inquam, in hoc latiori sensu: Sic enim Distinctio *rationis (ratiocinata) realis* non minùs, quàm *rei* est, adeoq;

adeoq; isti specificè contradistingui non posset. Quæ causa fuit, ut facerent Autores distinctionem *realem* (in latiori isto acceptam sensu) triplicem: *Majorem, Minorem, Minimam*. *Majorem* dicunt esse inter rem & rem, *h. e.* inter plures essentias: *v. g.* inter plura supposita, plures personas, plura accidentia, plures naturas. Et hæc distinctio deinceps (in sensu *strictiori & rigoroso*) à nobis distinctio *realis absolutè talis* vocatur. *Minorem*, appellant modalem; quæ est inter modos diversos & oppositos: *v. g.* inter actum & potentiam, substantiam & inhærentiam. Nos eam, (iterum *in sensu strictiori & rigoroso*, sc. non tantum propter fundamentum in re; sed propter conceptuum objectivorum alietatem) *realem* dicimus *analogicè talem* in subsequentibus. *Minimam* deniq; salutant illam, quæ est in unâ eademq; re; sed vel propter diversas virtutes & operationes (alias dicitur *Virtualis*) vel propter modos minimè sibi oppositos (dicitur aliàs *Modalis*) vel propter essentialem subordinationem (dicitur aliàs *Formalis*) *Minimam* hanc distinctionem, ejusq; species tres (denuò in sensu *strictiori & rigoroso*, habito respectu non ad qualecunq; fundamentum rei, sed ad conceptuum formaliæ alietatem, objectivi autem conceptus identitatem] referimus ad distinctionem *notionalem*, seu eam, quæ rationis (ratiocinata) est cum Dn. D. Calov. l. c. p. 550. Ideoq; subjectum thesios nostræ strictius est intelligendum, quatenus ad materiale distinctionis respicitur, utrum conceptus formales, an objectivi distinguantur: inter illos, esse dicitur distinctio realis; inter hos, rationis.

§. 12. Et in hoc sensu iterum, quoad prædicatum, distinctio realis est duplex: Absolutè, vel analogicè talis. A conditione extremorum: quæ vel realia Entia, res diversæ, essentialæ plures distinctæ sunt: Vel Res & Modus, aut Modus & modus, aut etiam negationes, privationes, Non-Entia: Nam & ea distingui realiter posse, ex antecedentibus patet. Itaq; distinctio realis absolutè talis est, quâ una res non est alia; & habet locum inter omnes omninò substantias, inter omnia accidentia, inter substantiam quoq; & accidens. *Talis distinctio in judicio inter actorem & reum est, quia alia persona, quæ accusat; alia, quæ accusatur. Item inter Arbitrum & judicem, cum hic habeat jurisdictionem, arbitrum*

tantum

tantum notionem; Hic esse possit infamis, non ille. Hic per se suam sententiam exsequatur; ille verò per ordinarium judicem. Hic possit parti multam indicere applicandam fisco, ille verò neutiquam. Item inter venditionem & permutationem, quandoquidem illa sit contractus nominatus, hæc innominatus; ad illam requirantur ex utraque parte res & pretium, ad hanc non pretium, sed res tantum: Illa perficiatur solo consensu; hæc non nisi rei interventu &c. Item inter Colonum & Inquilinum, siquidem is sit, qui agros; hic verò, qui edes nostras conduxerit. Item inter Quæstorem & Procuratorem; cum hic aliena negotia mandato Domini administret, ille sine mandato alicujus, negotium aliquod ad gerendum suscipiat.

§. 13. Distinctio Realis analogicè talis est I. inter Rem & Modum rei separabilem. Utut enim hæc extremorum vice non sit ubiq; Ens, aliud objectum tamen res parit, aliud rei modus: & sic vera diversitas datur inter conceptus objectivos. Modos autem separabiles intelligimus, juxta communem Regulam: Quæ vel ordinariè vel extraordinariè separari realiter ab invicem possunt, eorum unum in re ipsa non est alterum. D. Calov. l. c. p. 545. & 563, sic v. g. in creaturis, suppositalitas & personalitas ab essentia realiter differt, siquidem humana Christi natura in hypostasi non sua, sed λόγος terminetur. Talis quoq; realis distinctio est inter humanam naturam & peccatum originale, contra Anabaptistas ac Flacianos; objectivus enim conceptus hominis re ipsa alius ab objectivò conceptu peccati est, quippe quod olim separabitur. Sic etiam inter supplicij inflictionem, & inflictionis modum, per gladium vel per deportationem aut relegationem &c. inter majestatis collationem & collationis modum, per electionem vel successionem: inter hæreditatem, & illius consequendæ modum, quatenus quis illam vel adit, vel ei se immiscet: inter Emptionem & Evictionem &c. Utut enim hic iterum, extremorum vice, utrobique non semper sint actiones diversæ; utrobique tamen diversa sunt objecta, & à se invicem separabilia. Ubiq; posterius membrum abesse à re, vel saltem mutari potest.

§. 14. 2. Inter modum & modum, eosque non tantum diversos, sed etiam sibi oppositos ac incommunicabiles. Quamvis enim hic

D

non

non sit distinctio inter rem & rem: realis tamen est, quia objectum unum realiter aliud ab alio est. Notanter ergò adjicio; oppositos & incommunicabiles: contra Keckermannum, qui putat; quæcunq; differant ceu modi diversi, ea non differre realiter, sed tantum modaliter e. g. Personas S. S. Trinitatis. Verum enim verò ubi oppositio & incommunicabilitas ratione conceptus objectivi, ibi certè conceptus objectivus datur alius atq; alius, & proinde realis distinctio, in allato etiam exemplo, est concedenda. Talis quoq; distinctio est inter causam & causatum &c. Item inter terræ planitiem & inæqualitatem: inter Lineæ curvitatem & rectitudinem; Inter Constitutionem pignoris tacitam & expressam; inter Judicis officium & Jurisdictionem; &c. In quibus exemplis, ut distinctio non sit tanquam inter res & res, vel tanquam inter personas aut actiones diversas: diversissimi tamen sunt objectivi conceptus, ideo q; realem (analogicè) gignunt distinctionem.

§. 15. 3. *Inter privationes vel negationes*, sive cum rebus positivis sive inter sese mutuò comparatas. Imò etiam denique tandem 4. *Inter Entia Rationis*; sive conferantur inter sese, sive cum Ente reali; de quo superius diximus nonnulla. Talis distinctio est inter fortitudinem & timiditatem, mortem & vitam, surditatem & cœcitatem &c. item inter Chimæram & Cerberum, Cælum & purgatorium, Casum dabilem & non dabilem &c. *τηρησια* distinctionis realis sunt 1. generalia; Essentiæ diversitas; separabilitas; opposita diversitas. 2. specialia, tùm de substantijs; si adsit alietas 1. Producti & producentis, 2. Causæ & effectus, 3. Suppositorum. Tùm de accidentibus, quando distinguntur subjectis. Spuria indicia removet Scheibler. l. 1. Met. c. 8. n. 27.

THESIS VI.

Distinctio Realis II. vel est essentialis, vel subjectiva, vel accidentalis, vel causalis, vel circumstantialis, vel Hypostatica & Personalis.

Ita

§. 16. Ita cum Dn. Gutkio pergere placet: quia & *Identitatem & diversitatem* in prima disputatione, sic ferè distinximus. Quemadmodum vero primæ subdivisionis, in *Thes. V.* propositæ fundamentum fuit conceptuum *forma & indeterminatio*; Ita secundæ hujus subdivisionis fundamentum est eorundem *materia & determinatio*, utrum vel naturæ diversæ, vel in subjectis diversis, vel accidentia diversa, vel causæ deniq; diversæ sint &c. *Essentialis* ergo distinctio est inter Essentias diversas, sive separatae sint actu, sive tantum separabiles, citra contradictionem: estq; in rebus *Predicamentibus*, vel *Generica*, vel *Specificata*, vel *Numerica*; in *transcendentibus*, vel *infra Predicamentibus* analogicè. *Subjectiva* distinctio est inter ea, quæ subjectis: *Accidentalis*, inter ea, quæ accidentibus; *Causalis* quæ causis internis vel externis; *Circumstantialis* quæ circumstantijs, tempore, loco, antecedentibus, consequentibus differunt.

§. 17. Talis *realis* distinctio est inter *majestatem & patriam familias potestatem*. Distingvuntur 1. *Subjectivè*: hoc enim in familiæ quòvis Patre; illa non nisi vel in Monarchâ, vel in civibus pluribus, aut omnibus, indivisim sumtis. 2. *Accidentaliter*; hæc potest est limitari, & in civitate mirificè est limitata; illa verò, quoad se ipsam, prorsus limitari non potest. 3. *Causaliter*, ratione materiæ: hæc enim extendit se saltem in familiares, uxorem, liberos ac servos; illa autem in ipsos Patresfamiliarum; hæc in familiam, illa in civitatem. Ratione finis; hæc propter salutem familiæ sive privatam: Illa propter salutem civitatis, seu publicam. Nequaquam verò ratione efficientis; utraque enim à solo Deo est immediatè. Nec ratione formæ; utraq; enim imperium includit verum, quod necis ac vitæ jus habeat. 4. *Circumstantialiter*, quod illa præstantior atq; splendidior, ac augustior sit hæc, quoad modum consequendi, in antecedentibus; quoad modum administrandi, in consequentibus. Similiter *Jus Naturale, Gentium ac Civile* distingvuntur 1. *Causaliter*, quoad materiam sive objectum personale; Jus naturale obligat homines quâ homines; Jus Gentium gentes, quâ Gentes; & Civile cives; & reale, quia jus naturale obligat in moralibus, jus gentium in ijs, quæ ad salutem Reip. mutuò spectant; Jus civile in ijs, quæ Reip. suæ Princeps præscripsit. Nec non quoad

Efficientem; siquidem jus naturale sint implantatae divinitus Leges; Jus Gentium, per rectam rationem ex principijs ducatur; Jus Civile à Principe veniat. Et quoad finem, quia jus naturale, propter cujusvis in individuo; Jus Gentium, propter mutuam Gentium; & Jus Civile propter peculiarem hujus Civitatis, salutem fit. Adeoq; & quoad formam deniq; non Genericam; quodvis enim obligat, quia jus est; sed tamen Specificam, quomodo ex adducto contextu causarum patet. 2. *Accidentaliter*, quia Jus Naturale ac Gentium immutabile est, cum non mutari nisi destructâ natura vel Gente queat: Sed Jus Civile mutabile. 3. *subjectivè*, cum jus naturale sit in quovis individuo humano; Jus Gentium in gentibus, sive populis, in certam Remp. conjunctis ac concinnatis, relativè: Jus Civile in quibusdam individuis humanis, sub certo imperio viventibus, absolutè &c. Sic *appellatio & supplicatio* distingvuntur 1. *Causaliter*, tum quoad materiam; illa enim fit ad Judicem superiorem; hæc ad eundem, qui judicavit. Tum quoad formam: Appellans enim jus suum persequitur; petens verò misericordiam implorat magis: tum quoad finem; illa enim suspendit executionem sententiæ, nec eâ pendente quicquam innovandum est: Hæc verò rei judicatæ progressum non remoratur, siquidem aliàs judicia omnia redderentur incerta. 2. *Accidentaliter*: nam supplicare licet semel tantum. Appellare autem semel atque iterum licet. 3. *Circumstantialiter*; quia appellatio infra decem dies fit supplicatio & ultra biennium porrigi potest diversis effectibus &c.

§. 18. Sed pergimus quoque ad ultimam *speciem*, nimirum ad *distinctionem Hypostaticam seu personalem*, quæ est planè mystica & singularis, inter personas S. S. Trinitatis; quâ salvâ *essentiæ* identitate, *personæ* realiter distingvuntur. Alias appellatur distinctio hæc *Realis tantum*, quòd una quidem Persona, ob proprium Characterem hypostaticum, realiter non sit alia: Essentia tamen maximè una sit & maneat, quomodò aliàs orthodoxa Ecclesia fatetur, quòd in S. S. Trinitate non sit ἄλλο καὶ ἄλλο, sed tantum ἄλλο καὶ ἄλλο. Vid. Dn. D. Calov. l. c. p. 549.

THES. VII.

THESIS VII.

Distinctio notionalis, vel est Virtualis, vel
Formalis vel Modalis.

§. 19. Hæc altera subdivisionis, in Thesi 4. positæ, species est, cujus fundamentum, diversi sunt respectus, quibus ratio nostra movetur, ad rem unam diversimode, sub distinctis conceptibus formalibus, concipiendam. Quoad subjectum Theseos notandum, distinctionem notionalem vocari sic ab extremorum forma; Hæc enim νοήματα seu conceptus quidam formales sunt, quos mens nostra in una eademq; re, nec tamen citra rei fundamentum, distinguit. Appellari exinde solet Distinctio formalis, generaliter accepto termino, ut & formalem strictè sic dictam includat. Vocatur distinctio Rationis, ubi per rationem non intelligitur 1. λόγος τῆς οὐσίας, Definitio, Essentia & Quidditas Rei; sic enim quæ differunt, omninò realiter & essentialiter differunt, exponente Svarretz. d. 7. Met. sect. 1. n. 140. Quanquam si definitionis vox sumatur latius pro quacunq; rei coram intellectu repræsentatione; sic ad minimum quoq; ratione distinguantur, quæ definitione, h. e. formali conceptu differunt; qua de re vid. Dn. D. Calov. l. c. p. 577. & Ursin. qv. 21. p. 26. Nec 2. Ratio Ratiocinans; quatenus mens nostra ibi distinguit, ubi differentiæ causa seu fundamentum nullum reperitur: cujus exempla plurima B. Scharff. in Metaph. Exempl. l. 2. c. 16. §. 14. recenset. Hæc enim distinctio æquivoca est, sicut in Th. 2. monstratum. Sed (3) Ratio Ratiocinata, ut ajunt, seu eminens; quatenus ad aliquam distinctionem, non faciendam; sed cognoscendam rationis operatio requiritur, ut tamen illa distinctio non sit ex merâ mentis operatione; sed ex occasione, quam res ipsa præbet, circa quam mens nostra ratiocinatur. Hinc fundamentum distinctionis hujus non est conceptuum objectivorum multitudo, vel actualis rerum distinctio; sed qualiscunq;, ex eminentiâ & naturâ, aut habitudine rei, desumpta occasio, formales conceptus multiplicandi; juxta Dn. Scheibl. l. 1. Metaph. c. 8 n. 47. Et Dn. D. Calov. l. c. p. 579. Deniq; vocatur hæc ipsa distinctio, *ex natura rei*; quia scilicet non est ex Re & Re: sed vel ex ordina-

tione rei ad operationes (id quod *natura* vox connotat aliàs) vel ex rei respectu aliò. Et huc quoq; vergit *Fonseca* mens, qui distinctionem *ex natura rei*, distinctioni *reali* opponit, nec tamen ad distinctionem *rationis* (puræ) sed *rei* refert, ac postmodum *informalem* atq; *modalem* subdividit. Sed missis illis Scholasticorum rixis atq; quicquilijs, nostram thesin illustrabimus.

§. 20. *Virtualis distinctio* est inter ea, qua ab unâ eademque re fiunt, ac si essent virtutes diversæ. Sic vis indurativa, liquefactiva, calefactiva, rarefactiva, condensativa, in radijs solaribus distingvuntur sola Ratione, virtualiter. Sic attributa Dei, Justitia, misericordia, omnipotentia &c. distingui dicuntur virtualiter. Vid. B. Scharff. l. c. §. 8. & in Th. transc. p. 817. sq. Sic anima rationalis, sensitiva, vegetativa in homine non differunt realiter, quasi quoad objectivos conceptus tres in homine animæ sint; sed tantum virtualiter quatenus res, in se non distincta, tantum in efficacijs suis distingvuntur. Sic reliquæ formæ genericæ à specificis, v. g. vegetativa anima rutæ, à forma rutæ specifica, non re, sed conceptu; non realiter, sed virtualiter distingvuntur. B. Sperl. instit. p. 78, 80. Sic jura majestatis distingvuntur virtualiter; quia majestatis natura, & una, & simplicissima, & indivisibilis, quoad objectivum conceptum, omnimodè est: at propter varias efficacias, una eademq; simplicissima res, aliter atq; aliter à nobis concipitur, ac propter operationes in diversa objecta, diversa etiam nomina sortitur, utut essentiâ & naturâ suâ objectivè, una & indivisibilis maneat.

§. 21. *Modalis Distinctio* est, vel inter rem & modum rei, vel inter modum & modum. Modum intellige diversum tantum, non simul oppositum. Opposita enim realiter differunt. Sic v. g. Ens & verum, Verum & Bonum, differunt modaliter; non realiter: formales enim conceptus saltem diversi sunt. Sic eruditio & eruditionis inhæsiò, Sic societas & communitas, Sic emptio & pretij exhibitio, non realiter, sed modaliter differunt: reipsâ enim modales, à re modificatâ vel à se invicem inseparabiles sunt.

§. 22. Deniq; tandem *formalis Distinctio* est inter ea, quæ unitivè sunt contenta, ut (1) *Essentialiter subordinata*; homo & animal: (2) *passiones*. Sic affectiones Entis, unitivè in Ente contentæ, ab ipso Ente

Ente. Sic jura majestatis unitivè à majestate; Sic Societates unitivè à civitate, non re; sed ratione, quoad conceptus, non objectivos sed saltem formales, adeoq; formaliter distinguntur.

*Propter pagellæ reliquum spatium addere placuit
hæc axiomata.*

Ax. 1.

**Distinctio habens fundamentum in re,
non statim est realis.**

Explic. Realis enim distinctio *strictè* sic dicta, & quatenus distinctioni *rationis ratiocinatae* opponitur, est inter conceptus *objectivos* à se invicem diversos. Ideoq; *b. l.* Reale omne quidem habet fundamentum in re; sed *non contra*. Ut *latius & angustius* differunt. Contra recentiores Scholasticos, qui ad *Realem* referunt distinctionem, & Formalem & Modalem, unò verbò, omnem *ex naturâ rei*: propterea quod habeant in re fundamentum.

Ax. 2.

Identitati rei non repugnat distinctio realis.

Explic. Realis n. distinctio est inter conceptus *objectivos*, sive ijdem sint res & res, sive res & modus, sive modus & modus invicem sibi oppositi & incommunicabiles, in unâ eademq; re. Ita personæ S. S. Trinitatis realiter differunt; res tamen & essentia objectivè una est. Supremæ potestatis jura realiter differunt, res tamen & essentia objectivè una est. Animæ humanæ facultates realiter differunt; res tamen & essentia objectivè eadem est. Contra quosdam Calvinianos, ac Photinianos.

Ax. 3.

**Quæ prædicata habent contradictoria, ea non
statim realiter differunt.**

Explic. Sicut n. in unò ente plures dantur *realitates*; ita nec mirum, de unò ente plura, eaq; contradicentia fieri prædicata. Ens & Unitas non distinguntur *realiter*, sed tantum *formaliter*; prædicata tamen contradicentia admittunt. Ens enim *non habet affectiones*; Unitas *non habet affectiones*. Ita justitiæ divinæ est, *punire reprobos*; mi-
feri-

sericordiæ divinæ non est, punire reprobos: prædicata sunt contradictoria, de ijs tamen, quæ realissimè unum sunt idemq;. Contra quosdam è Calvinianis.

Ax. 4.

Actu ipso quæ distinguuntur, non ea statim realiter distinguuntur.

Explic. Dupliciter dicitur actu distinguui: (1) quoad Intellectum, quando is actu observans in re virtuales differentias, conceptus inde formales distinguit: hinc manet *objectivi* conceptus *unitas* ac *identitas*; *realis* ergò distinctio nulla est. Sic actu ipso Solis vis indurativa & liquefactiva distinguitur, nec tamen realiter, sed virtualiter saltem (2) quoad Naturam, seu quoad actum *objecti*, quando quædam non tantum virtute, sed *realiter*, *objective*, *actualiter* distincta sunt, & hæc *realiter* omninò. Sic in divinis, *persona* & *essentia* Dei non distinguuntur *actualiter*; obstat enim *summa* Dei *simplicitas*, quoniam actualis compositio concedenda foret: ideoq; nec *realiter* differunt. Contra Crellium. *Vid. Dn. D. Calov. l. c. p. 577.*

In Disputationem alteram publicam

Præstantissimi Dn.

JOH. CRAMERI, Magdeburgensis.

HOs plausus tollis, CRAMERE, hos tollis honores,
Doctus ut & solers & celebrere pius.

Nam quantum est unâ geminum sub luce triumphum
Ducere, & ex duplici strage referre pedem!

Numine quod præstas facili in tua prælia fretus:
Hoc fretus quid non polliceari boni?

In gratiam Convictoris amicissimi Lmq; fecit

Johannes Ericus Ostermannus,

P. P.

F I N I S.

Ung VI 73


ULB Halle

3

004 108 515







26

7.

DIS
TIONUM.

Alter,

DE
CL.

Wächtern /

k. Alumn.

bit

CRAMERUS,

rg,
ugust.
ridianis.

RCKHARDI, 1664.

